

84

Folium .lxx.

autem voluntas non moriendi fuerit causaliter a sensualitate. fuit tamen occasionaliter a ratione. Quia christus sicut voluit fecit illud horribile venire in ymaginationem et estimationem. Quo facto naturaliter mortem refugit. Hoc autem voluit propter nostram instructionem. Sic ratio pro sensualitate aduocauit. dicens. Pater si fieri potest trahat a me calicem istum. Hec petitio fuit tam sensualitatis quam rationis. Sed sensualitatis tanquam affectantis. Rationis autem tanquam proponētis. Et hoc christus fieri voluit ad triplicem instructionem nostram. Prima est ut sciamus non esse peccatum aliquod ex sensualitate velle quod est contrarium voluntati diuine. Secunda est ut martires christi non desperent si mortem horreant cum illam et filius dei exhorruit. Tercia est ut discamus discrete petere scilicet supponendo voluntatem nostram voluntati diuine. Et hoc notatur in conditione apposita. si fieri potest. Et ibi. Verumtamen non sicut ego volo. sed sicut tu vis pater.

De defectibus quos assumpsit Xps. Caplm. xvij.

In solum christus assumpsit humanam naturam. sed etiam defectus circa naturam. quos videlicet ipsum deuit assumere. Unde cum pene sint exercitatie virtutis perfecte. et testificatiue humane nature. non simulate assumpsit tam penalitates corporales quam spirituales. que respiciunt naturam nostram in communi. sicut famem et sitim in absentia alimenti. tristitiam et timorem in presentia nocimenti. et huiusmodi. ut est calor. frigus lassitudo etc. Nec tamen omnes defectus corporales assumpsit. sicut sunt defectus egritudinum multiformium. Nec omnes spirituales sicut sunt peccata. ignorantia. rebellio carnis ad spiritum. Preterea quia nullus innocens debet inuitus penam sustinere. Cum hoc esset contra ordinem diuine iusticie. **C**ristus sic penalitates suscepit ut tamen pati non posset inuite. quia passio sua non fuit contra voluntatem diuinitatis. nec contra voluntatem rationis. licet fuerit contra voluntatem sensualitatis et carnis. Dicimus etiam quod Xps vere timuit. et vere doluit. et vere tristis fuit. prout ista notant pro passionem. non sicut que signant passionem. Differunt autem pro passio a passione. Quoniam tunc affectio pro passio dicitur. quando ipsa anima sic afficitur quod oculum mentis nequaquam perturbat. Passio vero dicitur quando ita fortis est quod oculum mentis turbat. et facit a rectitudine. vel a dei contemplatione deuiare. et tunc ratio leditur et patitur. Unde differunt ista duo sicut dispositio et habitus.